

tur in secundâ & tertiâ figurâ : Affirmativam sententiam
amplexi fuerunt *Alexander, Averroës, Burana, Monlorius,*
Pacius, & Scotus in lib. 1. prior. q. 24. aliq. Pro quâ affirma-
tivâ quæstionis parte exempla subsequenter adferri pote-
runt : (1) in secundâ figurâ : Q. homo est doctus : N. Rudis
est doctus. E. Q. homo non est rudis. (2.) in tertiâ figurâ : O.
homo est animal. N. homo est leo. E. Q. animal non est leo.
Item Q. Æthiops est niger. N. Æthiops est corvus. E. Q. ni-
grum non est corvus. In hisce exemplis, non tantum mi-
nor terminus concluditur de majore, sed etiam conclusio
infertur immediatè.

§. XXIX. Negativa tamen sententia præferenda, quæ
ut intelligatur, sciendum, quod juxta Aristotelem in se-
cundâ Figurâ majus extremum sit, quod situm est propè
medium; minus verò, quod longius abest à medio: Sicut cō-
trà in tertiâ figura majus extremum est, quod longius abest
à medio; minus verò, quod propius adest. Dicitur autem ex-
tremū situm esse propè medium, quando in ratione subjecti
& prædicati cum medio convenit. Remotius autem dicitur
extremum à medio, quando in ratione subjecti aut præ-
dicati à medio discrepat, ut quando medium est in præmis-
sis subjectum, extremum autem prædicatum in conclu-
sione. Cùm igitur medius terminus in secundâ Figurâ sit
prædicatum utriusque propositionis, illud extremum si-
tum erit propè medium & per consequens erit majus, quod
prædicatur; illud autem erit remotius à medio & per con-
sequens minus extremum, quod in conclusione subjicitur.
Contrà, quia in tertiâ figurâ medius terminus in utrâque
præmissarum subjicitur, illud erit remotius, quod prædi-
catur, & per consequens erit majus extremum. Illud au-
tem quod in conclusione subjicitur, erit propè medium &
consequenter minus extremum. Ex his patet, quod in se-
cundâ

D

cundâ